VIRO.
ADMODUM. REVERENDO. CL. DOCTISSIMOQVE.
DOMINO.

HENRICO. DZIKOVIO.

AD. D. MARIÆ. ECCLESIASTÆ.
PRÆCLARE. MERITO.
A. CHRISTI. M. DCCIII. DOMINICA. XIX. POST. TRINITATIS.
SVB. IPSAM. VRBIS. THORVNII. DEDITIONEM.
ANIMAM. SVAM. S. NVMINI. PIE. REDDENTI.
ET. D. XXII. POST. TRINITATIS.
EXUVIAS. MATRI. TERRÆ. CONCREDENTI.
INTER. PLANCTVS. PRIVATOS. ET. PVBLICOS.
DE. ÆTERNA. PACE.
IN. COELIS. JAM. IMPETRATA.
GRATVLARI. VOL.
GYMNASII. THORVNENSIS.
RECTOR. ET. PROFESSORES. PVBL.

EX. OFFICINA. THORUNENSI.

Æ. S.

PHOSPHORI Gunckeliani analysin qvi fertis ægre, Viatores,
rite tristamini.
Novum enim hoc Inventum est, priorum Seculorum Chymicis ignotum plane,
& propterea non ubivis obvium.
Curiosum qvoqve si dixero, nihil à curiositate alienum dixero.
Alibi vix ignem sine lumine, hîc lumen sine igne, admirari datur.
Qvotqvot deinde Usum inventi aspexerunt, gratum nuncupant Phænomenon.
Hîc ardere videtur, qvod frigidum est,
& lumen de se spargere, qvod sine nocte caliginosum apparet.
Rectius tamen multo lugetis, qvi Dzikoviani Phosphori jacturam serio lugetis.
Lumen qvippe à priori inventum Terræ, à posteriori prædicatum Cœlo,
originem suam debet.
Illud in tenebris solummodo, hoc etiam in aprico Solis,
& heic qvidem eo efficacius, qvo plus radiorum à cœlesti Sole mutuavit,
vim suam exerit.
Illud sine igne micat, hoc simul micat & calefacit.
Absit itaqve, B. DZIKOVIUM siccis efferre oculis.
Immo qvi Phosphori Utilitatem persensistis, deplorate potius Virum,
à qvo Lumen Verbi divini in intellectu, ignem amoris divini in Voluntate,
sæpenumero imbibistis.
Phosphorum Ille
non Chymicum, sed Mysticum; non corpori, sed animæ gratum,
in Laboratorio suo prætulit.
Sane! hujus commatis Phosphori raro jam (eheu!) in Prussia nostra exoriuntur!
Immoderatius ex adverso qvi jam fertis Obitum Ejusdem, Viatores,
habetote,
B. Ecclesiasten non Phosphorum amplius, h. e. Luminis Latorem,
sed ipsum Lumen aliqvod jam esse.
Qvi nempe in terris jam à Lumine Gentium, aliis prælato, Lumen qvodd. sortiebatur,
qvanto magis, immo majus, in Cœlo?
In Lumine nemo versatur, qvi non insimul ab eodem egregie illuminetur,
Daniele Propheta teste,
Qvi docti fuerint, fulgebunt qvasi splendor firmamenti,
& qvi ad justitiam erudiunt multos, qvasi stellæ in perpetuas æternitates.
Absit igitur è contrario, nimium lacrymis rigare genas,
aut, nescio, qvam, post Viri discessum suspicari Caliginem.
B. DZIKOVIUS æterno jam in Cœlo utitur fruitur Lumine;
Et qvi Lumen Verbi divini præ tenebris Errorum in his terris constanter æstimant,
à PATRE Luminum propediem novo donabuntur Phosphoro.

* * *

Inter varias turbas deproperavit
M. GEORGIUS WENDIUS. R.

Προσφώνησις *ad piè defunctum, Dnm. Compatrem, & Confessionarium*
undiqvaqve Charissimum.

QVæ monumenta tuæ Virtuti firma locabo,
Qvæ nec tempus edax, nec mala fata terant?
O pie Vir, Cœtus divini sancta columna,
Et qvondam patrii portio magna soli.
Sive tuas animi dotes ceu corpore dignas
Describam, prorsus totus inanis ero.
Sive tuos mores rectos vitæqvè decorem
Depingam, frustra me labor ille coqvet.

Sive

Sive tuæ sacræ cantem præconia Svadæ,
Lingva mea est impar dicere dona DEI.
Sive ministerii recolam sublimia sancti
Munia, qvæ solers Tu subiisse qvibas.
Sive DEI magni referam Magnalia diva,
Qvæ Tibi mos doctâ voce sonare fuit.
Enthea seu dicam morituræ dogmata genti
Indita, qveis ejus mens animusqvè stetit.
Æthiopem Libyum durum lateremqvè lavarem,
Et nunqvam possem facta referre mei
DZICOVII: tamen illa piis infixa medullis,
Hærent perpetuis non reticenda sonis.
Hoc unum doleo, qvod tristi tempore nostris
Ex oculis raptus cœlica regna petas.
Si tua nos possent solatia prima tueri,
Esset præcipuus sensibus iste locus.
Sed qvia nos tacito miseros nunc ore relinqvis,
Ipse DEUS nostri cura superstes erit.
Te vivis animis nunqvam mittemus in auras,
Facta tuæ laudis clara Thoruna canet.
Et qvamvis nos fata premant adversa, secundâ
Illa tamen Dominus multiplicabit ope.
Eriget ipse suam confuso ex pulvere laudem,
Ac Urbis nostræ firma columna fiet.
Ille tuam Viduam dulci solabitur ore,
Et proli teneræ prospera qvæqvè dabit.
Ille tuam sedem vacuam Pastore replebit,
Qvi calcet sanctè limina sancta DEI.
Nunc, *dilecte DEO*, curis & compede liber
Post mundi sordes astra polumqvè tene.
Qvæ mihi præstabas soliti documenta favoris,
Hæc largo penset fœnore Sancta TRIAS!

Lmq. scr.
M. MARTINUS Böhm.

EPITAPHIUM.

DZIKOVII saxum, qvod cernis, membra recondit,
Sola solo condi scilicet ista qveunt.
Vitæ inculpatæ laus, doctrinæqve salubris,
Urbe cluit, sed habet spiritus astra poli.

Condolentiæ causa scrib.
PAULUS PATER.

POeniteat facti modo te Mors durior atro
Et silice & ferro cautibus & Lybiæ.
Cernimus ereptum Pastorem falce tremenda,
Æstibus atqve iræ Mors inimica tuæ.
Angelus ille DEI sacra statione locatus,
Multa cui Virtus contigit, ecce jacet.

Ille

Ille DEI monitus populo inſtillare ſolebat,
Blande, divine, ſvaviter ore docens.
Numinis ille pii fuerat divinus alumnus,
Mens, animus, Vatum Bibliotheca fuit.
Qvod docuit Moſes faſtis docuere Prophetæ,
Scivit contemnens antra Sibylla tua.
Cui ſcelus eripuit vitam dedit ille docendo,
Orci ne fieret victima fœda malus.
Hujus deſcripſit qvando faſtidia vitæ,
Barbarus hanc vitam ſpernere viſus erat.
Expreſſit qvando lingva convexa polorum,
Spiritus hæc hominis qværere viſus erat.
Ambroſium dicunt ſuccum Svadæqve medullam,
Hoc duplici Noſter nomine dignus erat.
Utilitas tanta eſt vix ignis, Solis & undæ,
Qvanti hominis fructus iſtius oris erant.
Digna Cedro docuit, de Numine digna locutus
Eſt, error nullus contemeravit eum.
Pectora vel nivibus puris, vel lacte fluente,
Uberibus fuerunt candidiora gregis.
Vera loqvor, noſti Domini Sanctiſſime Cœtus,
Qvi dependebas totus ab ore Viri.
Has tulit & plures in vaſto pectore dotes,
Sed jam diſcendum eſt poſſe carere Viro.
Pertigit ad metam, clauſa eſt brevis orbita vitæ
In terra, cœlis incipit ille novam.
Si bene vota tamen cecidiſſent juſta rogantis,
Marmora non tegerent oſſa caputqve Viri.
Vitæ ſiſte rotas, DEUS, o DEUS! oro, fugacis,
Ne in medio curſu, corpore feſſus, ait.
Talia Vota pius nil proficientia fudit,
Lethi porta patens ingredienda fuit.
Emendat lingvam, vocem mentemqve ſtylumqve,
Atqve ſeqvi ſtatuit juſſa verenda DEI.
Agne DEI, miſerere mei! Sunt ultima verba,
Qvæ jamjam moriens dixit & occubuit.
Exceſſus felix! mitiſſima clauſula vitæ!
Hanc illi peperit dogma, Luthere, tuum.

Conſervandæ memoriæ boni Paſtoris, f.
JOHANNES REZIK,
P. P. & Viſitator.

VErbis & factis docuit qvi temnere mundum,
Atqve jugo Chriſti ſvavius eſſe nihil:
Exemtus mundi turbis ſuper aſtra migravit:
Servus ubi Chriſti eſt, ſicut in orbe fuit.

L. ſcr.
M. MARTINUS BERTLEFFIUS,
Prof. Publ. & Viſit.

(o)